Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

DE

ISCHURIA,

AUCTORITATE

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS

MEDICÆ,

PRÆSIDE,

D. JO. GOTHOFR. BERGERO,

AÑATOM. AC BOTANICÆ

PROF. PUBL.

PRO LICENTIA,

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

LEGITIME CONSEQVENDI,

P. P.

JOACHIMUS Gottlieb Lehmann/

Budiſſ. Luſat.

D. 9. JANUAR. CIƆ IƆC XCI.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM

SOLITIS.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS MICHAELIS GODERITSCHII.

VIRO

Illuſtri, Excellentiſſimo atq; Experientiſſimo,

DOMINO

DN. D. JOH. BOHNIO,

Anatomiæ ac Chirurgiæ in Alma Philurea Profeſſori Publico longè meritiſſimo, nec non Reipubl. Lipſienſis Phyſico Graviſſimo,

Domino Patrono, Promotore ac Præceptore ſuo æternum devenerando,

Diſſertationem hanc Inauguralem,

Pro inſignibus in ſe ſuaqve ſtudia meritis, tanqvam grati animi ſpecimen Publicum,

Sacram eſſe cupit

Servus humillimus

Joachimus Gottlieb Lehmann.

I. N. J.

STudiorum hactenus Academicorum dum ſpecimen publicum edere jubeor, Summos in Arte Medica Honores qvi ambio, Diſſertationi Inaugurali Argumentum deſtino *Iſchuriam*, Urinæ defectum, ſeu ſuppreſſionem, cujus bono cum Deo & pro viribus evolvere conabor Pathologiam, Semioticam & Therapeiam.

Caput Pathologicum.

§. 1.

NEc in Veterum, nec Modernorum, dogmata injurius videbor, nec forſan in petulantiæ juvenilis crimen veniam, ſi, ubi de ſero, fluidorum corporis animalis magis univerſali, hujusque ſubſtantia diſſerendum, cum *Mercato* (qui prout in proximè ſuperiori non minus, ac hoc noſtro, ſeculo Medicinam docuit & fecit, ſic Veterum Scholarum aſſerta ſtrenuè defendit, futuras verò noſtri ævi hypotheſes, neſcio, quo ingenii acumine & animi alacritate, hinc inde anticipavit, earumque inventionis gloriam noſtratibus præripuit) *Oper. t. 1. l. 1. part. 3. quæſt. 94.* dixero illud tria continere: Vehiculum nimirum ſanguinis & ſucci alibilis aqueum, cum hoc ad partes trajiciens, aut illi vehiculum præſtans; rorulentam ſ. ſeream magis ſubſtantiam & manſvetioris conditionis, gelatinoſam puta ſive nutritiam humiditatem; ac mere excrementitiam ſive aqueo-Salinam, quam Urinam ſive Lotium ajunt communiter.

§. 2. Hæc poſterior ergò Corpori inutilis ac moleſta, ſub Oeconomiæ animalis integritate è corpore proſcribitur, ſub mo-

& in veſica, ut matula publica, collecta: retinetur tamen etiam aliquando p. n. minusque emingitur, quod Iſchuriam ſive Urinæ ſuppresſionem vel defectum vocant; moxq; duplicis iterum generis conſtituunt, Veram ſcilicet, ac Notham ſive impropriè ita dictam. Veram ſive Legitimam deſcribentes, in qua veſica urina plena exiſtit; Notham verò ubi nihil ejus ad hanc defertur, hæcq; vacua eſt.

§. 3. Nothæ, quia Verâ prior, cauſas primo videbimus, hinc Veræ. Quarum illæ duplicis iterum generis ſunt, modò ſecretionem urinæ in renibus turbantes, modo defluxum ejus ad veſicam intercipientes.

§. 4. Urinæ ſecretionem impedit *primo* ſeri ſive maſſæ ſanguineæ textura ſtrictior, ſeu per quam ejus heterogenitates excrementitiæ reliquo ejus fluori ita combinatæ ſunt, ut ab amplexibns his arctioribus ſe extricare, hinc per renum colaturam ſeparari nequeant: cui ſimile quid in febrium principio ac incremento ſive cruditatis ſtatu, & aliquando in cacochymia, contingit. Eſt enim motus ſanguinis ſerique vitalis diverſorum ſuccorum, laudabilium non minus ac excrementitiorum, colatura ſecernendorum, digeſtio præparatrix, qua particulæ eorum aliæ aliis exſolvuntur & ad ſeceſſum promtionem diſponuntur: Adeoq; nec *Malpighium* aliosque rerum Phyſiologicarum Scrutatores ineptè egiſſe, mihi perſuadeo, quod illam ſanguinis fer mentatiouem ſive motum inteſtinum Urinæ ſecretionem maximè juvare autument, ut Seri moleculæ aqueæ ac ſalinæ, reliquæ maſſæ vinculis magis evolutæ ab occurrente renum ſtructura determinata facilius excipiantur, & colando ſeparentur; neque inconſiderantiæ cujusdam accuſandi ſunt Galnicorum plerique, qui ſerum Urinoſum per digeſtionem illam, quam ſanguificationem ajunt, & in hepate ſupponunt, produci aſſerunt.

§. 5. Quod ſi proin motus hic maſſæ ſanguineæ non pro rei exigentia fiat, prima ratione turbatur lotii in renibus ſecretio, utpote ſecernibile tantùm ſecernentibus: per inde ſcil. ac filtrum Chymicorũ à fluidis non quævis ſeparat, v. g. non ab aceto coral-

tabilium, ſed præcipitatione aut fermentatione ſive digeſtione demum præparata, & ad dimittendas heterogeneitates prædiſpoſita.

§. 6. Ætiologiam hanc agnoſcunt pariter *Platerus prax. t. 1. l. 2. c. 8. Sylvius prax. l. 1. c. 55.* & *de Cachexia* §. 294. 295. atque *Williſius Pharm. rat. lib. 1. ſ. 4. c. 3.* & quidem non ſine ratione, quam in eo potiſſimum conſiſtere puto, quod in caſibus ejusmodi nihil doloris ſeu moleſtiæ renalis aut veſicalis combinetur, aut ſine organorum noxa urina ſupprimatur, nihilominus à Diureticis adæquatis atque reſolventibus malum ſolvatur. Quamvis *Williſio* in hoc ſubſcribere hæream, dum quia in Subjectis Iſchuria defunctis nec ipſe, nec *Lowerus*, aliquid p. n. invenerit, cauſam ſymptomatis omnino in ſanguinis concretione & compactione nimia concipit: cum ſpaſmodici quoque affectus tale quid efficere queant, in cadaveribus oculum fugientes.

§. 7. Motum hunc fruſtrare ſive partes ſanguinis intimius commiſcere & quaſi conglutinare *Sylv. pr. l.* 1. *cap.* 55. lymphæ aciditatem p. n. ait, ſi hæc tanta fuerit, quæ, ad fluoris tantùm remanentiam, congelet illas: Qualem Coagulatorem p. n. etiam agnoſcere videtur *Platerus* l. a. ubi à vino rubro ſtyptico ſanguinem & ſerum præter modum incraſſari ac urinas perinde imminui, ac ab attenuantibus provocentur, docet. Idem tamen *Sylvius* in tract. *de Cachexia §.* 294. & 295. hoc etiam viſciditati tribuit, utpote à qua partium fluidarum ac ſolidarum connexus vitioſus ortum haberet, ut in renibus ſerum ſecerni nequeat, quemadmodum in Cacochymia & Leucophlegmatia, item in febrium cruditatis ſtatu, ſi non omnimodè ſupprimi, ſaltem ſenſibiliter imminui, urinam obſervamus. Haud equidem negari valet, quod infinitæ Scriptorum & Practicorum obſervationes teſtantur, ut inferius ediſſeram, lentorem ac viſciditatem hanc ſeri porulos renum ſecretorios obſtruendo frequenter urinæ transcolationem impedire, hincq; ſuppreſſionem ejus cauſare; quia nihilominus hoc ſine moleſtia renum ſenſibili fieri nequit, modò obſtruendo, modò partes ſanguinis ſeroſas reliquis intimius colligando, glutinoſitatem hanc Symptoma hoc producere, probabile fit.

§. 8. Aliam cauſarum mihi fere obtruderet *River.cent.1.obſ. 1.& 89.* abundantiam nempe ſanguinis & plenitudinem vaſorum emulgentium; per quam hæc ad ſanguinis ſeroſi ad renes expulſionem ſe non magis contrahere poſſent, ac veſicam urinariam, diutius impletam ac præter modum diſtenſam, ad mictionem & urinæ protruſionem ſe haud componere, obſervemus: niſi aſſenſum moraretur idem *Williſius Perſpicaciſſimus*, caſuum binorum à *Riverio* relatorum ætiologiam in eandem ſanguinis ſtrictiorem texturam conjiciens. Quatenus ſangvis nec à venis, nec ab ararteriis, ſed à Cordis pulſu, renibus impellitur; & in Subjectis his ultra triduum Iſchuriam moleſtiſſimam ſuſtinentibus, eum impulſum fuiſſe, vel ideo puto, quod dum ad reliqua corporis membra idem toto hoc tempore fuerit delatus, nec renes ejus appulſu, ſine necroſi certiſſima, tanto ſpatio carere potuerint.

§. 9. Cauſam ætiologiæ Riverianæ dicit Sanguinis Miſſio, brevi levamen & diureſin provocans, illum vel imminuendo, vel à renibus avertendo. Verum enimverò, licet fidem hiſtoriis binis *Viri, in praxi non minus ac theoria Verſatiſſimi*, quàm promtiſſimè præſtem; Ei tamen nec in cauſa fingenda, nec in remedii juvandi ratione, aſſentiri poſſum; quin, hoc non per ſe & immediatè, ſed per accidens demum ac mediate, Urinam adduxiſſe, mihi perſuadeam, ab ipſomet Autore & in relationibus ejus annotatis circumſtantiis hoc admonitus. Quippe in priore cauſam hujus mali evidentem, dum corpus exæſtuans & multo potu (ſine dubio frigidiore & glaciato, qualis Gallis ferventibus ſolennis) obrutum aſſerit, congelationem ſive inſpiſſationem ſanguinis invitus innuit; in poſteriore verò ambiguus videtur, plethoræ non tantum Sanguinis-miſſionem, ſed pituitoſo ſeu viſcidiori ſero phlegmagogum quoque, ex ſem. carthami, ſatis potens nuncupans, & non ſtatim à V.S. ſed poſt aliquot demum catharſes, urinam craſſiorem excretam fuiſſe, perhibens. Sanguinis miſſio in his caſibus, ſi aliquid egit, forſan pari ratione, ac aliquando in febrium ſtatu cruditatis, ubi heterogeneitates morbificæ ſanguinis maſſæ adhuc intimius cohæreſcunt, & ubi ſigna cruditatis in urina adhuc

dis & ſecernendis iisdem ſpatium liberius concedendo, eorumve tendentias à ſe invicem haud ulterius morando. Atque hujus generis & cauſæ puto Iſchuriam, qua *Cornarius* quendam obſ. 21. ſine ullo renum ac veſicæ affectu per plures dies non, niſi poſt narium hæmorrhagiam, minxiſſe perhibet; item, quam *Tulpius* l. 2. obſ. 43. ſingulis pleniluniis affligentem & per V. S. demum ſolutam teſtatur: ejusdemque rationis videtur, quam ex obſervatione propria & *LoVVeri* annotavit *Williſius* l. a.

§. 10. Multo minus facere poſſum cum illis v.g. allegato *Platero, Riverio* & *Sylvio*, qvi ideò qvoq; urinæ ſecretionem turbari ajunt, qvod materia ſeu ſecernendum deficiat, ſcil: non copioſe productum, conſumptum in febtibus ardentibus, per diarrhoeam & ſudores nimios, aut ad alias partes & extra canalem ſangvinis & lymphæ depoſitum, nempe in hydrope. Eo ipſo enim, dum recrementorum ſeparatio tunc demum aboleri ſeu imminui dicitur, ubi talia adfuerint, & naturam gravant; nec peccabit hæc, ſi hoc, qvod non moleſtat, non elimet, ſeu qvod per alia ſecretoria, ſeu ſecundum, ſeu præter naturam rejectum, non ad organa hæc vel illa revocet.

§. 11. Majoris momenti *ſecundo* videntur vitia renum qvævis, glandulas ac meatus renales colatorios vel p. n. arctantia, vel laxantia. Prioris generis anomaliæ diverſæ ſunt, nempe (1) obſtruentia, v.g. ſangvinis grumuli, pus, arenulæ, calculus & pituita viſcidior, e.g. in illa Iſchuria à lacte nutricis ſpisſiore, de qva *A.Luſit.cent.6.curat.12.* videatur: (2) comprimentia, nempe tumores v. g. in Nephritide, & idem Calculus. Qvo etiam ſpectat illa glandularum ac canaliculorum renalium ſtrictura convulſiva, qvalem in Colica ſpasmodica aut renali organa hæc pati videntur, aut qvalis uno rene calculo grumoq; ſangvinis infarcto, alteri contigit, qvi ab obſtructione ac re doloriſica qvamvis immunis, nihilominus itidem ſuo officio haud fungitur, adeoq; mictio vitio utriusq; renis deficit.

§. 12. Hinc quamvis *Loſelio, Beverovicio*, aliisq; Scriptoribus haud concedam, uno rene p. n. affecto, alterum qvoq; in ſua functione ſemper & neceſſariò turbari; eſſet enim hoc contrarium quotidi-

ana experientiæ. Miror tamen, cur *Platerus* v.g. *loco alleg.* afferat, ideo renum ac ureterum culpa mictionem rarò ſupprimi; qvod uno illorum læſo ſeu malè ſe habente, alter adhuc munus ſecretorium & abductorium obire posſit. Cum pariter huic obloqvatur experientia, freqventius, uno rene, à calculo v.g. laceſſito, nec alterum urinam eliminare vid. *Riolan. Anthrop. l. 2. c. 26. Verzaſch. obſ. med. 2. Ballon. l. 1. conſil. 57. & paradigm. 55.* ac *Bartholin. cent. 4. epiſt. 39.* ac rationem hujus rei olim jamdum innuit *Foreſt. l. 24. obſ. 26. in Schol. & Jonſton ad t. 3. coac. prænot. 589.* Sympathiam ſcil: renum mutuam: Adeò ut minimè recurrendum ſit ad affluxum illum auræ malignæ, ab uno rene ad alterum tranſeuntis, qvalem *Riolan. enchirid. Anat. pathol. l. 2. c. 28.* ſibi concipit; ſed pari ratione, ac renes dolore affecti per commercium nervorum, qvod ipſis cum aliis abdominis organis intercedit, etiam hæc in ſpasmos dolorificos concitant, unus eorum male ſe habens alterius Oeconomiam facilè concutere valet, nervis eorum non tantum variis mutuo inoſculantibus, ſed communi involucro adipoſo, peritonæi duplicaturæ productione, gaudentes. Licet etiam caſus aliqvando talis eſſe qveat, ut uterq; ren ſimul per idiopathiam male conſtitutus exiſtat, v.g. ſi unius renis ſubſtantia plane eroſa & conſumta fuerit, altero poſtmodum, à calculo conturbato, qvale qvid ipſemet *Platerus* l. a. *Bonnet. ſepulchret. l. 3. ſ. 24. obſ. 1. §. 3.* annotarunt; aut ſi uno uretere conſtipato alterius lateris ren inflametur, exulceretur &c. qvalis exempli *Blaſius obſ. med. 22. part. 6.* meminit; aut ſi uterq; ren calculo ſimilive heterogeneitate fuerit refertus, qvale qvid *Höchſtetterus dec. 6. caſ. 2.* perhibet.

§. 13. Qvæ vero meatulos renum colatorios p. n. laxant, qvod vitium alias eorum imbecillitatem, item læſam facultatem attractricem ac ſecretricem, vocant, renum forſan tonum laxatum commodius dicere liceret, ſunt præprimis eorum torpor, à ſpirituum animalium defectu ſeu influxu intercepto dependens: unde ſangvinem ac ſerum, æq; laudabile ac urinoſum, transmittunt, nullamq; hujus ab illis ſecretionem præſtant, ſtructura ſcil. Colatoria deſtructa, ſive præter modum laxata: cujus Iſchuriæ generis exempla *Höchſtett: decad. 5. caſ. 10.* frigidi marmoris freqventiore

applicatione ad lumbos, & *decad.6. caſ.1.* ab uſu Narcoticorum, ac *Bartholin.cent.4.epiſt.18.38.& 39.* à paralyſi ſcorbutica, recenſent. Pariter hujus loci eſt ſuppreſſio urinæ, à vertebris dorſi luxatis, aut à medulla ſpinali ac genere nervoſo qvocunq; modo læſo, it. qvæ morbis acutis interdum ſupervenit, & à Practicis cunctis pro lethali ſigno habetur. Similem laxitatem renum aliqvando concitat, ſeu potius poſt ſe relinqvit Diabetes diuturnior: qvatenus per copioſiorem potulentorum, atq; chyli ſeu ſeri transfluxum meatuli glandularum, vaſa ſua excretoria non tantùm ſpectantes, diſtenduntur, ſed qvi venas qvoq; reductorias reſpiciunt, canales eo usq; laxantur, ut rigiditate & tenſione eorũ fatiſcente diabetes in mingendi defectum facilè commutari qveat.

§.14. Nec deſunt alii conformationis renum morbi urinæ ſecretionem morantes, in cadaveribus magis conſpicui, v.g. ſi organa hæc valdè erodantur, de qvibus vid. *Mercat. pr. l.4.c.12.* ſi calculis turgeant, vid. *Plater. obſ. l.3.p.892.* Si eorum compages ſcirrhoſa & tuberculis duris plena evadat, vid. *Euſtach. de renibus c.45.* & *Bonnet. ex relation. Bobrzensky, ſepulchret. l.3.ſ.24.obſ.4.§.10.* Si inflammatione corripiantur, vid. *Hildan. de Lithothom. veſic. c.3.* Qvorum nihilominus exemplorum tranſcriptione Lectori tædium parare mihi religio erit, potisſimum cum eorum pleraque ſint, qvæ comprimendo aut conſtipando Renum meatulos, Symptoma hoc patrarint; reliqva continuum ſolvendo actionem illorum turbarint. Imò qvamvis in perforato, vel à vulnere, vel ulcere, rene ſecretio urinæ etiam integra concipiatur, vix tamen aliter fieri poteſt, quin urina ſecreta per aperturas has ad abdomen p. n. deponatur, ſicque ad veſicam non deferatur, quale quid innuit hiſtoria, quam à *Borrichio* conſignatam legere licet, penes *Bartholin. cent. 4. epiſt. 17.* ubi in viro quodam hydropico ren ſiniſter totus in putrilaginem abierat, dextro uretere calculo obſtructo: hinc miſero huic oborta fuerit urinæ ſuppreſſio, & inde hydrops, urina, cum ad veſicam via denegaretur, in abdomen ſe effundente.

§. 15. Progredior potius ad alterum Iſchuriæ nothæ cauſarum genus, ſcil. qvod lotii in renibus ſecreti defluxum ad veſicam interpellat: eſtq; aliqvando anguſtia meatuum, per qvos illud ac-

[illegible] defluere ad veſicam ſolet, ſeu ureterum; aliqvando, qvamvis rarius, eorundem per vulnus, ulcus aut rupturam, ſoluta unitas, per qvam ad cavitatē potius abdominis, pariter ac per renes perforatos, p.n. deponitur ſerum illud, probe eqvidem ſecretum.

§. 16. Anguſtia itidem variat, qvatenus modo & freqventius eſt ab obſtruente, imprimis à calculo, in hac vel illa ureteris parte hærente, qvalia exempla *Salmuth. cent.2.obſ.82. Foreſt. l. 24. obſ.30.* ac *Tulp. l. 2. obſ.45.* recenſent. *Sylvius* eqvidem l. a. *c. 56. §. 4.* ambigit, an à calculo in ipſo uretere extra pelvim & commisſuram cum veſica, hærente unqvam omnis urinæ tranſitus in veſicam inhiberi qveat, ideo qvod aliqvando in ureteris medio, magis, qvam alibi, dilatato, calculum ovi columbini magnitudinem penè æqvantem, invenerit, ad cujus latera nihilominus deſcenderit urina liberè; qvod inde concludebat, qvod nulla in eodem uretere contineretur urina & nullibi, præterqvam ubi hærebat calculus, diſtentus cerneretur ureter.

§. 17. Qvin tamen huic aſſerto abſolutè adſtipuler, hoc impedit, qvod in ejusmodi caſibus non tantùm ad corpus obſtruens, ut tale, ſed ad ſpasmos qvoq;, qvos violentior illius impactio, aut minor etiam calculus, per ſuperficiei ſui aſperitatem movet, ſit reſpiciendum: à qvibus aliqvando magis conſtringitur ureter, qvàm à calculo ſimilive incongruo conſtipari poterat. Adeoq; hoc ſpasmo in agone remittente, hinc canali paululum laxato, urina congeſta aliqvando defluere poteſt in veſicam, obſtructione qvamvis adhuc permanente. Pari circiter ratione ac *Bonnet. Sepulchret. l.1.ſ.1. obſ.13.* de puero generoſæ proſapiæ ſeptenni refert, eum à caſu in occipitium, poſt alia Symptomata, demum cum ventris intumeſcentia per aliqvot dies, ad interitum usq; in Iſchuriam minus ſolubilem fuiſſe conjectum, eo verò defuncto urinam per horæ qvadrantem continuo profluxiſſe, ſpasmis ſcil. ſphincteris veſicæ cùm vita miſera ceſſantibus. Præterea qvid obſtat, qvo minus dicamus, calculum in uretere alterutro hærentem, non tam hunc obſtruendo, ſeu tranſitum urinæ in rene ſecretæ denegando, qvàm canalem hunc cum rene convellendo, & per ſpasmos hos urinæ ſecretionem ſimul turbando, tale qvid pa-

trare: perinde ac alterius lateris ren ab uno uretere ac rene, ſpaſmis dolorificis affecto, in conſenſum trahitur, & in functione pariter ſua deficit. In qvo caſu nihil Urinæ in ureteris ſummitate comparebit, cum nihil ejus exiſtat, aut ſecernatur; tantillum verò qvod, anteqvam calculus adeò arcte impingebatur, emulctum, tractu temporis à venis renalibus reſorbeatur.

18. Similem obſtructionem parit interdum ſangvinis grumus, ut ex *Salmuth.cent.2. obſ.82.* conſtat, it. pituita ſeu mucus viſcidus, qvalem *Foreſt.l.24. obſ.15.* in Carthuſianis, piſcium freqventiori eſui indulgentibus, annotavit, & à cujus infarctu in infante qvarto à partu die Iſchuriam lethalem *Salzmann. obſerv. p.64.* & *Bauhin.theatr.anat.lib.1.c.22.* teſtantur. Idem aliqvando præſtat materia ſabuloſa, canalibus his firmius impacta, qvalem *Knöfel. Miſc. Nat. Cur. decur.1. an.4. obſ.46.* deſcribit. Ubi pariter haud adeo paradoxum videri debet, qvod uretere uno, à qvavis materia oppilato, alter utplurimum qvoq; in officio ſuo deficiat: hujus qvippe conſpirationis diverſa eſſe poteſt cauſa, ſcil. vel qvod unus ureter jam dum olim morbo conformationis qvodam laborarit, ſeu juſto arctior extiterit, alter recens conſtipatus fuerit, prout v.g. *Williſ. Ph.rat. l.a. & de Anima brutor. part.2. c.14.* innuit; vel qvod unius lateris ureter renem alterum & hujus ureterem non minus, ac ſuum renem, in conſenſum vocarit.

§. 19. Parem anguſtiam in canalibus ureterum pariunt ſpaſmi, quibus illos etiam, tanquam organa fibroſa, affici probabile eſt: & quales non raro mucus acrior, nonnunquam arenulæ exiliores, contactu ſuo movent, it. in Nephritide illa notha, quam *Dravviz* von ſchmertzmachenden Scharbock *tit.* 9. accuratiſſimè deſcribit, contingunt: cum plexibus nerveis lumbaribus ureteres adeo convellentes, ut non tantum circa lumbos maximos cruciatus, ſed ſimul modò ſtillicidium urinæ ac dyſuriam, modo Iſchuriam, patiantur ſcorbutici. Quemadmodum etiam hujus loci ſunt ſpaſmi in Colica convulſiva ſphæram ſuam eousque extendentes, ut, annotante *Williſio de anima brutorum* l. 2. c. 15. præter reliqua abdominis viſcera ureteres & veſicam urinariam, aliquando ad omnimodam urinæ ſuppresſionem conſtringant.

§. 20. Rarioris forian obſervationis ſunt caſus ſolutæ uretc-rum, per vulnera ac ulcera, unitatis, dabiles tamen & per Autorum experientiam confirmati: quemadmodum *Platerus* v. gr. *Pr. Tom. 3.* c. 3. de puero quodam refert, eum, poſtquam ureter dexter à calculo grandiore ruptus fuerit, totum hydropicum evaſiſſe & cum gravi urinæ ſuppreſſione diem obiiſſe. Quamvis etiam hoc concedam, non ſtatim unius ureteris lacerationem aut eroſionem lotii excretionem omnimodè intercludere, niſi forſan alter ſimul ex quacunque cauſa officium ſuum non ritè peragat: neque ab omni calculo, etiam magno ſatis, impacto, hujusque tendentia, dilacerari ſemper hos canales, utpote quorum tunicæ ingens robur habent, hinc in amplitudinem aliquando vix credibilem v.g. juxta *Sylv. l. a.* pro pollice excipiendo, dilatantur, imò, ut ex *Williſ. de Anima Brut. l. c.* conſtat, calloſæ evaduut.

§. 21. Denique veſicæ culpa aliquando Iſchuria notha contingit, vel ſi illa urinam ab ureteribus haud admittit, ab uno majore, pluribusque minoribus aut mediocribus calculis ejus cavitate eousqve repleta, ut lotium intra canales hos ſiſtatur, *obſervante Sylvio modo allegato*; vel ſi lacerata, vulnerata aut eroſa fuerit eadem, hinc ad cavum abdominis profundatur urina, qvalia exempla *Dodonæus obſ.* c. 34. *Plater. pr. l. a.* ac *Bonnett. ſepulch. l. 3. ſ. 24. obſ. 11. §. 1.* ex communic. *Sponii* enarrant.

§. 22. Verùm quo Iſchuriæ propriè ſic dictæ qvoque, ſive veſicalis, ætiologia addatur, dicendum, ad veſicam lotium confluum non excerni ſeu emingi diverſis pariter de cauſis: iisqve vel conſtrictionem veſicæ turbantibus, vel meatum excretorium arctantibus.

§. 23. Ratione priorum, ſuppono ex Phyſiologicis, Urinam vel mole, vel acrimonia, veſicam immediate ad ſui detruſionem urgere, qvam hæc per tunicam ſuam carneam præſtat, cujus molimine juxta *Excell. Bohnium Circ. phyſ. progymn.* 14. potentiam fibrarum ſphincteris contractoriam eousqve ſuperat, ut his laxatis cervix patula evadat, hinc fluidum illud ex conſtricto fundo propulſum transmittat; adeo qvidem ut ſecundum experimentum *Walæi* muſculis abdominis animalis vivi reſectis, urina per vulnu-

iculum veſicæ cum impetu notabili protrudat, hac in arctum maximè ſeſe contrahente & motu hoc illius eliminationem præſtante: qvamvis muſculos qvoqve abdominis coagentes veſicam comprimendo excretionem hanc juvare in propatulo ſit. Qvæcunque E. fibris tunicæ veſicæ motricibus & muſculorum abdominis contractoriæ intumeſcentiæ impedimento eſſe poſſunt, harum actionem turbando, mictionem notabiliter interpellant.

§. 24. Inter hæc primum eſto vulnus & ulcus veſicæ, de qvo modo dictum qvod conſtrictionem ejus aut plane inhibet, aut minus æqvabilem præſtat, ſcilicet ab uno ſui latere contracta verſus laceratam partem urinam cogit & ad abdomen ſecedere facit: qvalis phænomeni exempla ex Autoribus hinc inde conſcribere liceret, niſi pauca §. 20. allegata ſufficerent. Qvamvis caſus qvoqve tales vulnerum ac ulcerum veſicæ, ſive fundi, ſive cervicis, per ſitus & connexionis rationem, qvam cum integumentis abdominis ipſi intercedere, Anatome docet, concipi qveant, qvibus urina non ad hujus cavitatem defluat, ſed per aperturas illas è corpore ſatis commodè proſcribatur.

§. 25. Solutam hanc veſicæ urinariæ unitatem in genere cauſandi mictionis defectum excipit, ejus inflammatio, qualem in Tychone Brahe, ex ſymptomate hoc mortuo, annotarunt Medici, & in Nauta qvodam infeliciore ex contuſione teſtatur *Foreſt. l. 25. obſ. 27.* atqve in alio, *obſ. 28.* tenſa qvippe tunc & per tumorem indurata fibras ſuas contrahere neqvit: unde inter ſymptomata ſeu ſigna diagnoſtica veſicæ inflammatæ impotentia urinandi à Practicis refertur. Qvemadmodum pariter tenſibilitatem ſeu contractibilitatem veſicæ turbat, ſi eam conſtituentia involucra calloſitatem, cartilaginoſam ſimilemve ſoliditatem p. n. induant, qvalem ex *Riolano* deſcribit *Bonnet. l. 4. obſ. 16.* ubi in qvodam, qvi Iſchuria veſicali interierat, corpus veſicæ, qvo ad cavum & membranoſum eſſe debebat, plenum, ſolidum, contractum glanduloſum & qvodammodo calloſum, excepto fundi tantillo, vix lotii unciæ continendæ capaci, repertum fuiſſe, perhibet.

§. 26. Demum Expreſſioni urinæ obeſt; hinc mejendi impotentiam facit, fibrarum hujus involucri carnoſi reſolutio ſeu imbecillitas ac diſtractio, à vitio partim intrinſeco, partim errore externo, dependens. Illud nihil aliud qvam ſpirituum intra fibras illas defectus ſeu torpor eſt, unde tonus veſicæ laxatur, qvalem accuſare decet in Sene illo, cui poſt coitum immoderatiorem urina ſupprimebatur, annotante *Ballonio epid. & ephemer. l.2. p. 156.* & in illo, qvi teſtante *A. Luſitano cent.4. obſ.10.* à lotione pedum ex puteo frigido nihil urinæ emittebat. It. hujus loci erit Iſchuria ex nervorum veſicalium laceratione nata, qvalem *Hildan. cent. 5. obſ. 61.* à reſectione teſticuli auguratur: Qvemadmodum pariter, qvæ à medulla ſpinali male ſe habente, evenit, v. g. ex lapſu ſpinam introrſum luxante, juxta *Galen. l.6. de loc. affect. c.4.* aut eadem vulnerata, qvemadmodum pertinacisſimam Iſchuriam in Centurione qvodam Cæſareo cujus medulla intra vertebram lumborum primam globulo ſclopeti minoris inſigniter lacerata fuerat, olim annotavit *Experientisſimus D. D. Bohn.*

§. 27. Error externus urinam omnimodè ſupprimens eſt voluntaria vel coacta illa verecundia aut ſimile qvid v.g. partus difficilis, delirium, qvo urina diutius & ultra ſui urgentiam, in ſanis qvoad organa urinaria, detinetur: à qva veſica immoderatius repletur & eo usq; extenditur, ut ſe ipſam poſtmodum contrahere neqveat, fibris ejus carneis præter modum extenſis tonoq; eorum laxato; ſimul verò qvo magis extenditur ejus compages, eo magis arctatur collum, ſeu meatus ejus excretorius. Agnoſcunt hanc cauſam defectus mejendi pleriq; Scriptores Practici v. g. *Galenus l. a. Foreſtus l. a. obſ. 12. in Schol.* & proprio ſuo damno *obſ. 14.* adſtruit, it. *Paræus l. 16. c. 48. Hildanus de lithotom. veſic. c. 3. Panarollus pentec. 1. obſ. 27. Platerus l. a.* & *Riol anenchrid. anatom. pathol. l. 2. c. 30.* Neq; tamen inficiari, licet, tonum veſicæ aliqvando per ἀναισθησίαν qvandam laxari, ſi per hanc ad extraordinariam ſui extenſionem cumulet urinam, cum ab hujus mole non vellicata, nec eandem exprimere ſatagat, ut videre eſt ex *Foreſto l. a*; qvalem ſentiendi torporem eadem ſpirituum animalium in organo hoc penuria excitat.

§. 28. Exitum verò urinæ intercludunt, vel veſicæ collum vel in maribus urethram ſimul, arctantia. Prioris claſſis iterum varia obſervantur, & inter hæc primo ac freqventius Calculus major minorq;, orificium veſicæ obturans, qvalia exempla, utpote qvotidiana, ex Autoribus huc repetere, ſupervacaneum duco. Miror potius providam naturam hujusq; ſingulare artificium, qvo, referente *Loſſio l.1. obſ.33.* calculum veſicæ unciarum qvatuordecim in Nobili qvodam Sene ita perforarat, ut per hunc ejus meatum lotium non tantùm ſine ullo impedimento proflueret, ſed ut nulla unqvam calculi in veſica contenti fuerit ſuſpicio, cum de nulla gravitate, dolore ſimilive moleſtia conqveſtus fuerit idem Senex. Similis collo veſicæ oppilatio aliqvando contingit à pituita viſcidiore, qvalis infantibus ſolennis & qvalem ex abuſu terebinthinæ, poſt alimenta cruda ac glutinoſa, *Hildanus cent.5. hiſt. 59.* obſervavit; annotarunt pariter hanc Urinæ ſuppresſionis cauſam *Foreſtus l.25. obſ. 12. Bartholinus Act. Hafn. volum.4. obſ.34.* ac *Blaſius obſ. med. part.4. obſ. 21.* Idem aliqvando præſtat grumus ſangvinis, aut ex renibus vulneratis ſeu eroſis ad veſicam detruſus, aut in hac à ſimili cauſa productus: cujus exempla pasſim obvia ſunt v.g. penes *Galenum l. a. Foreſtum l. a. obſ. 20.* & *Timæum l.3. caſ.41.* Tandem hujus loci ſunt tumores & excreſcentiæ carneæ ac ſcirrhoſæ, intra veſicæ capacitatem enatæ & collum ejus conſtipantes ut ex *Sylvio pr. l.1. c.87. § 7. Hildano cent. 2. obſ.65. Rhodio cent.3. obſ.26. Bartholino cent. 2. hiſt.52.* & *Riolano anthropograph. l.2. c.28.* innoteſcit.

§. 29. Comprimendo verò quæ itidem veſicæ orificium arctant, anomaliæ diverſæ ſunt, omnes tamen extra illam conſtitutæ. Ita v. g. â glandulis proſtatis inflammatis, ſcirrhoſis aliave ratione tumidis & collum veſicæ comprimentibus mingendi impotentiam teſtantur *Riolanus l.a. Rhodius cent.3. obſ.27.* ac *Bartholinus cent. 4. epiſt. 6.* à tumoribus ipſi veſicæ collo adnatis vel adſitis idem *Bartholin. cent. 1. epiſt. 23. M. A. Severinus, de Abſceſſ. recondit. natura p. 276.* imò ſphincterem veſicæ, vel ab inflammatione, vel ſcirrho, vel abſceſſu, vel alio quopiam affectu, in tantum tumorem attolli poſſe, ut meatus ille hinc omnimodè

occludatur, aſſerit *Riverius Pr. lib. 14. c. 8.* & confirmat *cent. 2. obſ. 82.* Qvemadmodum pariter ab utero, à calculo diſtento & veſicam comprimente, Iſchuriam mortalem annotavit *Knöfel. Miſc. Cur. ann. 4. obſ. 65.* it à fecibus in inteſtino recto induratis *Wepferus de Apoplex. p. 391.* it. ab inteſtinis ad ſcrotum delapſis ſimulqve veſicæ oſtium internum comprimentibus ſeu contorqventibus *Bartholin. cent. 2. hiſt. 95.* Deniqve pari ratione, ac de ureteribus dictum, aliqvando idem ſphincter veſicæ convulſus ejusmodi qvid patrat, v. g. in Scorbuticis, ut ex *Dravvizio* & *Williſ. de anim. brutor. l. 2. c. 15.* repetendum.

§. 30. Tandem anguſtiarum meatus ipſius Urinarii in maribus pariter diverſæ exiſtunt cauſæ: ſcil. ſi primo in Phimoſi præputium glandem eousqve tegat, ut nihil urinæ profundere poſſit, ut in Puero recens nato vidit *Plater. obſ.* p. 602. aut meatus ille alias p. n. coaluerit, ut ex communic. *J. G. Bauhini* refert *Bonett. l. a. obſ. 15.* ac *Schenck. obſ. p. 507. 508.* Deinde, ſi à ſangvinis grumo, pituita ſpisſiore ſimilive materia obſtruatur, qvemadmodum à limoſo humore penis canali impacto Juveni cuidam obveniſſe, *Foreſtus l. 25. obſ. 15.* refert. A carunculis aut verrucis, ex præcedaneo ulcere aut alia cauſa in urethra enatis, mictionis defectu qvid freqventius? ut teſtantur exempla, à *River. cent. 1. obſ. 81.* & *morbor. infreq. obſ. 22.* à *Foreſto l. a. obſ. 10.* relata: qvibus accenſeo tophum illum, in urethra enatum, mortiferæ Iſchuriæ cauſam, de qvo idem *Foreſtus obſ. 16.* diſſerit. Aſt omnium forſan freqventius excretio urinæ interpellatur à calculo intra mentulam hærente, ut ex *Hildan.* de *Lithotom. veſic. c. 26.* *Salmuth. cent. 1. obſ. 6.* *Foreſto l. a. obſ. 15. in Schol.* & *Zac. Luſit. pr. admir. l. 2. obſ. 76.* videre eſt: Ut paradoxus ſatis proin videatur caſus ab *Hildano cent. 5. obſ. 56.* deſcriptus, ubi qvidam calculum, à qvo olim urinæ difficultatem ſimilesq; moleſtias paſſus fuerat, poſtmodum in urethra ſine ſingulari damno & cum urinæ ſatis commoda excretione geſtabat.

§. 31. Aſt qvia muſculos qvoq; abdominis, & forſan inter hos potiſſimum pyramidales, contractione ſua ad excretionem urinæ, ut motus ſpontaneus eſt, ſymbolum ſuum conferre, in propa-

tulo eſt: Horum etiam actionem turbatam aliqvando accidere poſſe, ſi Lotium non excernatur; veroſimile fit; qvo etiam *Sennertum* aliosq; inclinare obſervo: ſcil: ſi vulnerati fuerint, aut paralyſi laborent, unde aliqvando perinde, ac ubi voluntarie urinam cohibemus, veſica tandem præter modum diſtenditur & ultra tonum naturalem laxatur.

Caput Semioticum.

§. 1.

Diagnoſi pariter ac prognoſi hujus affectus ut ſatis fiat, ratione prioris diſcernere ante omnia convenit Iſchuriam notham à vera, ſeu renalem à veſicali: & qvidem imprimis per ſymptomatum diverſitatem. Notha ſcil. dignoſcitur ex hoc, qvod nulla tenſio, nullus tumor, nullum pondus obſervetur in pube & regione hypogaſtrica, nullus adſit mingendi ſtimulus, immiſſo veſicæ cathetere nulla ☐a educatur, præceſſerint nihilominus aut præſto ſint affectus renum aut ureterum aliive v.g. hydrops, febris, qvibus recrementum ſeroſum averti probabile fiat, aut ſi potu largius hauſto nulla excretio urinæ ſine dolore renum, contingat. Contra veram judicamus ex dolore gravativo & tenſione hypogaſtrii, ac tumore, ad figuram veſicæ urinalis circumſcripto, magnoq; ac inani mingendi conatu, imò contrectatum hypogaſtrium renitens deprehenditur.

§. 2. Cauſas vero utriusq; hujus urinæ defectus diſtingvere, negotium majoris momenti eſt, cum, qvamvis earum nonnullæ evidentes maximè exiſtant, reliqvæ tamen etiam ſagaciſſimos fugiant. Et primo qvidem ſangvinis ſeriq; culpa, ſive ab horum firmiore juſto nexu, tale qvid evenire probabiliter concludimus, ſi, ut modo dictum, potu largius hauſto nihil moleſtiæ circa lumbos & pubem percipiat æger, ut ex *Riverii cent. 1. obſ. 1.* conſtare poteſt: qvæ planiora magis evadent, ſi nulla alia ſeri evacuatio contigerit, præceſſerint nihilominus in Diæta errores heterogeneitates urinales Maſſæ

Sangvineæ arctius conferruminantes, v. g. juxta *[illegible]* vini ſtyptici, aut, juxta *Sylvium*, acidorum qvorumvis, abuſus.

§. 3. Renes verò inculpamus, ſi aliorſum non delato, aut per alias vias non evacuato, ſero, circa eorum regionem percipiatur dolor ſimilisve moleſtia, aut ſi olim tales affectus freqventius affecerint, v.g. Nephritis, Diabetes &c. ex qvibus illorum tonum laxatum, ſeu ſingularem imbecillitatem, augurari licet; aut errorem renibus præjudicialem æger commiſerit v.g. annotante *Höchſtettero Decad.* 5. *c.* 10. marmor gelidum regioni lumbari admovendo, diureticis v.g. acidulis, abutendo, aut eandem regionem corporis frigidiori aëri exponendo. In ſpecie verò laxitatem illorum dignoſcimus ex cauſis antecedaneis vel conjunctis v.g. ex ſpirituum animalium torpore, aut influxu intercepto, per luxationem ſpinæ &c. Calculum, inflammationem, vulnera & ulcera renum, ſigna harum obvia ſatis oſtendunt, reliqvis verò eorum morbis organicis v.g. ſcirrho, evolvendis vix ulla Diagnoſis adæqvata erit: Utpote qvorum notæ cum calculo, ulcere &c. communes ſunt, adeoq; dubium ſemper dimittunt Medicum in affectu primario deſignando: qvemadmodum experientia qvotidiana & Autorum obſervationes teſtantur, ejusmodi aliqvando Iſchuriæ cauſas in cadavere reperiri, qvales in Subjecto vivo vix divinare licebat. In ſpecie, ſi eousq; eroſi & ab ulcere perforati fuerint renes, hujus morbi ſignum infallibile ſuſpicantur Scriptores collectionem aqvæ intra abdomen hujusq; hinc intumeſcentiam, in qva nota nihilominus admittenda cautos eſſe decet, ne Aſcitem, qvi ab alia cauſa evenit, eroſorum renum productum credamus, & ſerum per renes colatum perſvadeamus nobis, qvod ab iisdem per hydropem avertebatur, ſeu illos nunqvam adierat.

§. 4. Idem circiter cenſendum de affectibus ureterum, qvorum eqvidem nonnulli, v.g. calculus oppilans, ex ſuis ſignis, grumus ex contuſione ac vulnere renum vel partis vicinæ, pituitæ infarctus ex ætate tenera & victu glutinoſiore, ve-

roſimiles

roſimiles fiunt: Horum tamen ſimiliumq; obſtruentium in omnibus ſubjectis non æq; facilis videtur cognitio, adeoq; magna circumſpectione indiget, ac cunctas circumſtantias, diætæ ſcil. ætatis, morborum ac ſymptomatum antecedaneorum, cauſarum evidentium &c. conqvirere ac combinare jubet. Imprimis ſæpè imponit ureterum auguſtia à ſpasmis introducta ſub ſpecie calculi, vixq; dignoſci poſſunt dolores renum ac ureterum hinc urinæ ſuppresſio à calculo obturante ab illis, qvæ *Drawizio l.a.* Nephritis ſcorbutica ſeu ſpuria appellatur, qvamq; *Riverius pr. l 14. c.1.* aliqvando ab aduſtione humorum, ſub concretionum areniformium ſeu ſalinarum potius ſpecie urinaria organa moleſtantium, contingere ait: adeo ut ambo hi Scriptores magnæ doctrinæ non ſine ratione dixerint, non, niſi per calculi excretionem, calculi præſentiam certò judicari poſſe, reliqva ſigna ſeu ſymptomata cuncta cum calculoſis communia exiſtere.

§. 5. Pariter ſi ſolutæ unitatis cauſa fuerit evidentior v. g. vulnus, hincque effectus mox in ſenſus incurrat, v.g. Aqualiculus, aut urinæ per plagam effluxus, de illa nullum amplius dubium manet: Sin verò à calculo v.g. rumpente aut verme erodente, quis adeo emunctæ naris erit, qui illam olfaciet? quatenus v. g. Aſcites ſuperveniens pro illa confirmanda minimè ſufficit, ex ruptura forſan vaſis lymphatici majoris, propter quamcunque cauſam, eveniens, adeoque non pro effectu lacerati ureteris habendus: cum hydrops & ſuppreſſio urinæ non ſint affectus connexi ſive conſequentes, ſed ſeparati maximè.

§. 6. An veſica, an verò hujus meatus excretorius, in cauſa ſit, dignoſcitur primo in genere exin, quod ſi meatus Urinarius ſalvus & patens exiſtat, ac ſolum afficiatur veſica, ſi hæc manu comprimatur, urina reddatur & catheter ſine difficultate immittatur: Contra, ſi vitium ſit in meatu urinario, veſicæ compreſſionem nulla urinæ excretio ſequitur & catheter

non ſine difficultate immittitur, ſeu in immiſſione ejus aliquam reſiſtentiam Chirurgus obſervat.

§. 7. In ſpecie autem calculum veſicæ cognoſcere eumque à tumore ſcirrhoſo ſimilive diſcernere, quam ardua res ſit, vel ſolus *Hildanus de Lithotom. cap.4. & Hollerius lib.1. de morb. intern. cap. 49.* declarant: ita ut nec exploratio, quæ digito in anum aut vulvam intruſo ac cathetere fit, dubium omne tollat, annon potius tumor, quàm calculus, ſit, qui urinæ effluxum deneget. Proin vix cavillandus *Riolanus*, qui in ſacelli ſacriſta calculum veſicæ ominabatur, quamvis poſtmodum in illius cadavere nihil calculi, ſed corpora carnea circa ipſius collum, ejusque ſubſtantiam maximam partem calloſam, videre contigerit. Ergo etiam hic multa ſagacitate opus eſt; quemadmodum pariter in laceratione vel eroſione veſicæ penetrante dijudicanda: Nam quam ex ſeri in abdomine collectione notam hujus rei promittunt communiter Autores, fallax deprehenditur, ob rationem §.3. & 5. indigitatam, niſi forſan cauſa lacerationis manifeſtior fuerit, v. g. vulnus. Inflammatio veſicæ affectus eſt minus abſtruſus, ſed per ardoris & doloris locum atque teneſmum ſatis manifeſtus: aſt magis latet calloſa veſicæ excreſcentia, ut ex Riolani errore, modo allegato, apparet.

§. 8. An ab inſenſibilitate, aut affectu paralytico urinæ excretio inhibeatur, ſi cauſæ torporis ejusmodi manifeſtæ extiterint, v. g. luxatio ſpinæ & hujus medullæ laceratio, non multo augurio opus eſt in cauſa hac determinanda; alias verò veſicæ ſenſum deficere patet, quod de nulla à cohibito lotio conqueratur æger moleſtia, etiamſi tumeat maximè veſica: quemadmodum pariter, an à diuturniore juſto urinæ continentia tale quid evenerit, v. g. in partu difficili aut ſub ſopore graviore v. g. ab ebrietate, res ſatis patet, modo ante actorum recordetur æger. Calculum, pituitam ac cruorem congelatum, urethram obſtruentes, tumoresve conſtipantes modo facilius, modo difficilius, deprehendimus, prout modo dictum:

ctum: Etſi in quibusdam horum caſibus cauſæ evidentes, ætas, vitæ genus, ſimiliaq; aliqvid lucis concedant. Tumores collo veſicæ incumbentes, ſi inteſtinum rectum ſpectent, qvemadmodum etiam proſtatas tumentes, tactu explorare conceditur, minus, ſi illi ſub pubis oſſe aut circa latera veſicæ latitent, qvemadmodum vix apparet, qva ratione compresſionem colli veſicæ à calculo, uterum replente in puella qvinqvenni dijudicare potuerit *Knöfelius* ſupra allegatus. Evidentior eſt ætiologia, à fæcibus inteſtini recti aut hujus inflammatione petita, it. dislocatio viſcerum abdominis enormior, veſicæ cervicem comprimens ſeu urethram diſtorqvens: obſcurior verò in hernia illa veſicali, qvam in piſcatore qvodam per ingvinis rupturam in ſcroto contigiſſe *Platerus pr. tom. 1. cap. 8.* refert, ita ut à Chirurgo etiam minus cauto veſica in ſcroto hærens pro hydrocele ſimplici fuerit habita ac peforatata. Convulſivas deniq; meatus ejusdem conſtrictiones ſpasmi aliarum partium, v. g. in Colica convulſiva it. Cacochymia ſcorbutica, per ſua ſigna, declarant.

§. 9. Glandis aperturæ obturamenta oculis obvia ſunt, qvemadmodum ipſi urethræ impactus grumus ſangvinis, calculus, craſſamenta pituitoſa ex antecedaneis Symptomatis & cauſis aliqvando ſatis probabiliter concluduntur, it. Caruncula in meatu urinario, ſi ex gonorrhæa & ulcere, v. g. Gallico, producta, à qvacunq; demum cauſa emerſerit, reliqvaq; obſtruentia, catheter huicq; ſuccenturiata candela cerea detegit. Sin nihil cauſarum harum augurari detur, delirium verò cujuscunq; generis præſto ſit, ægrum oblivionis culpa urinam minus excernere, probabile ſit: qvamvis malum hoc tandem cauſam magis poſitivam, tonum nimirum veſicæ fractum, de qvo ſuperius dictum, inducere qveat. Deniq; Muſculos abdominis evacuationem hanc morari inferimus, ſi hos contrahere ac mediantibus illis ventrem comprimere ægro non fuerit integrum, qvem & Medicum nec cauſæ hujus motus turbati latere poſſunt, v. g. vulnus & Inflammatio, paralyſis. &c.

§. 10. Recte

§. 10. Rectè *Foreſtus in ſcholio l. 25. obſ. 16.* poſtqvam Iſchuriam perperam curatam & lethalem in ſacerdote qvodam, qvoad ſingulas circumſtantias, deſcripſerat, ait: ita ex optimo prognoſtico medici honor, ut ex malo ejus infamia, omnibus innoteſcit; & ſi in aliis morborum curationibus, rectè in Iſcuriæ medela, hoc effatum habebit locum. Id eſt modo ſolubilis & ſalutaris, modo pertinax & lethalis, exiſtit hic affectus, ita qvidem, ut nec profluente lotio, diutius hactenus retento, ſalutis ſpes adeo certa ſit, ſed Iſchuriam etiam ſuperantes emoriantur, prout à *Fonſeca tom. 1. conſult. 87.* & *Tulpio l. 4. obſ. 27.* annotatum legimus.

§. 11. Eſt autem Prognoſis vel generalis & quibusvis mictionis abolitæ ſpeciebus communis: vel ſpecialis & ad certas cauſas atque circumſtantias reſtricta. In genere E. Iſcuria periculoſum ſatis & frequentius lethale malum eſt, ita tamen ut, quo gravior & pertinacior ejus extiterit cauſa, eò difficilius cedat; Contra, ſi levior ac mobilis ſeu ſolubilis magis illa fuerit. Hinc quæ à calculo renum ac veſicæ grandiore, canalibus horum excretoriis firmius impacto, imprimis utrique ureterum, graviſſima obſervatur, item, quæ à tumoribus veſicæ cervicem conſtipantibus aut comprimentibus. Pariter periculi plena deprehenditur, quæ à vertebrarum ſpinæ luxatione & medullæ harum laceratione: quatenus non tantum ipſi hi morbi difficulter ſanantur, ſed ſymptomata etiam graviora pediſſequas habent. Quamvis *Galenus 6. de loc. affect.* c. 4. annotarit, tale quid non cunctis vertebrarum harum luxationibus, ſed illi tantum, quæ adinteriora fit, ſolenne eſſe, neq; Iſcuriam illi ſemper mox ſupervenire, ſed poſt unum vel alterum demum diem: Imò experientia docet, etiam hanc tractu temporis in involuntarium lotii profluvium mutari; quod tamen de veſicali tantùm erit interpretandum. Idem *Galenus loco allegato* decretum reliquit, quod pernicioſus admodum ſit ille Urinæ defectus, qui à concreto ſanguine in veſica, ideo, quod putredo partium & marcor eum excipiat, & omnes hinc,

adæquata licet admota medela, perime, excepto unico fa-
tem: id quod Nautæ cujuſdam exemplo confirmat *Foreſtus obſ. 16. in ſchol.* cui circa perinæum graviter percuſſo, lumbi & pecten ſtatim diſtendebantur, cum femorum intumeſcentia ac lotio lethaliter ſuppreſſo; Ubi non video, quid obſtet, quo minus ad grumos quoque, renibus atque ureteribus impactos hoc decretum Galeni extendam, cum eadem in his partibus ſymptomata excitare queant. Præterea rem conclamatam eſſe in genere, imprimis innuunt ſupervenientes convulſiones, febris, ſi odor urinæ ægri fauces ac nares afficiat, ſingultus angat ac demum tenſio atque moleſtia, circa renes & veſicam hactenus affligens, evaneſcat.

§. 12. Aſt quod ratione prognoſeos potiſſimum ventilari ſolet, eſt affectus duratio, ſeu quamdiu eundem ſuſtinere queat æger? Et ſi experientiam conſulamus, nonnulli hinc citius v. g. die quarto, quinto, imò brevius, v. g. juxta *Höchſtett. dec. 6. caſ.* 1. matrona quædam intra triginta horas; nonnulli verò tardius, reconvaleſcunt, imò exin demum pereunt. Tardius & quidem poſt octavum, it. decimum quintum diem, aliquos evaſiſſe teſtatur *Rhod. cent. 3. obſ. 28. & 29.* poſt decimum *Foreſtus l. a. obſ. 18.* poſt undecimum *Tulp. l. 4. obſ. 27.* & *River. cent. 4. obſ. 45.* poſt decimum tertium *Fonſeca 2. caſ. 964.* *Miſcellan. Nat. Cur. an. 4. obſ. 159.* poſt decimum quartum *Cornarius obſ.* 21. ac poſt decimum nonum *C. Piſo de morb. ſeroſ. 4. c. 6.* ut monſtroſas mittam hiſtorias eorum, quos diutius ſine vitæ exitio haud minxiſſe, Autores referunt, v. g. *Fonſeca obſ.* 96. v. g. Monialem Patavinam per ſex menſes, quale quid *Schenkius* quoque in Viro annotavit. Contra alios intra hos, poſt ſeptimũ diem, ex ſuppreſſione periiſſe, eadem experientia loqvitur, v. g. *Fonſeca t. 1. conſ. 87.* & *t. 2. conſ. 96.* poſt decimũ ſeptimum *C. Piſonius l. a.* qvo forſan caſus *Montani* ſpectat, ubi *conſ. 52.* qvendam à ſuppreſſione urinæ 16. dierum in ſpaſmos conjectum fuiſſe perhibet ac de eventu ſilet, & *Höchſtett. l. a.* qvendam die decimo, fœminam aliqvam 14to, obiiſſe.

§. 13. Aſſe-

§. 13. Aſſerit nihilominus *P. Sal. Diverſus de affect. partic. cap. 14.* terminum ſalutis ultimum, ſeptimum, ante qvam ſi mingant, ſalventur; Sin ultra, licet, ut ſuperius monitum, removeatur cauſa & lotium provocetur, utplurimum perire: E. ut Autores ſe è difficultate hac extricarent, eorum alii v.g. *Sennert. pr. l. 3. part. 8. ſ. 2. c. 2. Höchſtett.* loco aliqvoties allegato docuerunt, regulam hanc tantum applicandam eſſe Iſchuriæ nothæ, non veræ. Aſt qvamvis *Salius verſus l. a.* imprimis de renali urinæ ſuppreſſione diſſerat, haud tamen liqvet, cur non de Iſchuria veſicali qvoqve dicere conveniat, illum morbum brevioris moræ, eſſe, atqve utplurimum ante ſeptimum interficere: adſtipulantibus non minus experientia ac ratione. Quoad illam ſiquidem quæ ex *Rhodio* bina allegavi, exempla, it. quas ex *Tulpio, Fonſeca tom. 2. ex Miſc. Nat. Cur.* atque *Piſone* &c. modo in ſcenam produxi, obſervationes, poſt ſeptimum diem eluctantium, de Iſcuria potius renali, non veſicali, intelligi debent: Neque veſicalis ultra terminum ſeptem dierum facilè ſine vitæ periculo extenditur, ut ex *Rhod. cent. 3. obſ. 26. Jerem. Martio obſ. 4.* patet. Nec deeſt ratio, quippe eadem ſymptomata, quæ vel ex regurgitatione ad maſſam ſanguineam, vel ex conſenſu generis nervoſi, contingere poterant ab Iſchuria notha, evenire etiam valent ab exquiſita. Imò perinde, ac renes aliaque organa ad quas remeat urina putreſcunt & ſphacelantur, ſic diuturnior urinæ, quotidie magis ac magis acrioris factæ, in veſica mora, pariter non tantum hujus tonum inemendabiliter laxat, inflammat, & ad corruptionem diſponit, ſed ſanguinis etiam maſſam ac genus nervoſum contaminat; ita ut in hoc etiam genere morbi poſt ſeptimum excreta urina raro à mortis periculo immunes reddat.

§. 14. Potius E. reliquarum in ſubjectis diverſis circumſtantiarum ac ſymptomatum combinatarum habeatur ratio; docente *Tulpio l. 2. obſ. 45. & Panaroll. pent. 5. obſ. 17.* cum obſervetur, robuſtiora corpora & quæ mox ab aliis gravioribus

Sym-

ſymptomatis corripiuntur, diem ſeptimum longius excurre-re; infirma vix ſeptimum expectare. Robur autem hoc corporis non tantum videtur concernere ſtatum antecedaneum, qui ſi vegetus, moleſtiam hanc facilius ſuſtinet, ſin valetudinarius v. g. hydropicus, aſthmaticus &c. brevi ſuccumbit: Sed præſentem quoque ubi per ſingularem corporis habitudinem & texturam maſſæ ſanguineæ, imprimis generis nervoſi, firmiorem, non facile febris accenditur, nec affectus ſoporoſi aut convulſivi generantur &c. quemadmodum v. g. ex hiſtoria *Rhodii cent. 3. obſ.* 28. conſtat, illi, qui in reddenda urina per 15. dies defecerat, venas ad pollicis craſſitiem à ſeri regreſſu, ſine aliis ſymptomatis, intumuiſſe. Item robori corporis majori minorive debetur, quod hoc per alia loca aliquando ſuperfluitates ſeroſo-urinarias excernat, v. g. per alvum, umbilicum aut ſudores, cujus poſterioris phænomeni exemplum eſt, quod ex *C. Piſone* modo adduxi, ſcil. Iſchuriæ per plures dies aliquoties cum ſudore continuo ac olido repetentis ac tandem ſolutæ: Sicut etiam huc ſpectat obſervatio *Tulpii l. 2. obſ.* 43 circa finem annexa, ubi juvenem quendam, poſtquam octodecim dierum Iſchuriam paſſus fuerat, larga narium hæmorrhagia & frequente macularum in habitu eruptione præter omnem ſpem reſtitutum fuiſſe, perhibet.

§. 15. Ætiologia ſiquidem, per quam interficit urinæ defectus utriusque generis conſiſtit imprimis in ſeri regurgitatione, ratione cujus in maſſa ſanguinea varias anomalias ac febres producit, teſtante *P. S. Diverſo l. a. Fonſeca tom. 2. conſ. 96. & Höchſtettero decad. 5. caſ. 10. & Montano l. a.* affectus comatoſos, torporem, convulſiones atque epilepſiam, circa præcordia anxietates & difficultatem ſpirandi, extra vaſa autem profuſum, hydropes varii generis, conſtituit; Renum verò ac veſicæ compagem juxta *Tulp. l. 2. c. 4. & l. 4. c. 27.* mortificat; adeoque non uno modo œconomiæ animali exitio exiſtit.

§. 16. Cur autem remittente dolore ſimilive ſenſatione moleſta, ſine urinæ excretione proportionata ſecurum eſſe

haud deceat, imo lotio poſt ſeptimum diem profluente nihilominus de vita deſperandum ſit? hujus phænomeni ratio ex dictis commode depromitur. Nam moleſtiarum ſine cauſa evidente evaneſcentia mortificationem & ſphacelum organorum urinalium innuit: generis vero nervoſi & maſſæ ſanguineæ, item viſcerum reliquorum ſingularem labem, à longiore ſeri urinoſi in corpore mora inductam, quæ non adeò facilè deletur atque emendatur.

§. 17. Concernebant hæc Prognoſin præſentis mali in genere, ad ſpecialiorem nunc me convertam. Ubi qui mejendi defectus à ſecretione ſeri læſa eſt, ſemper plus periculi portendit, quàm qui fatiſcente excretione contingit. In ſpecie verò, qui à compactiore ſanguinis maſſæ textura eſt, facilius aut difficilius emendatur, prout vinculum illius vel laxius, vel ſtrictius, vel habituale, vel accidentale, eſt. Sicut pariter illius, qui à vitio renum ac ureterum dependet, eventus pro hujus diverſitate variat: dum v. g. qui à torpore ac defectu ſpirituum animalium, calculo majore impacto, ſanguine congrumato, pertinacior longè obſervatur, quam qui à ſpaſmodica affectione, viſcidiore pituita, calculo minore atque arenulis; & qui utriusque renis ac ureteris affecti productum eſt, gravior ſemper deprehenditur, quàm qui unius ſaltem. Quæ eroſionem ac lacerationem horum organorum ſequitur Iſchuria, vix ulla arte emendatur, vel, etſi forſan ſanabilis ſit illa continui ſolutio, tardius tamen demum ſuccedit, neque adeò facilis eſt urinæ ad abdomen profuſæ eductio. Simili modo ſe res habet in illa, quæ culpa veſicæ ac urethræ evenit, ſcil. ſecundum diverſam habitudinem, quæ mictionem moratur, illa gravioris ac difficilioris ſanationis deprehenditur: quemadmodum in ſpecie, quæ ab affectu quodam paralytico ac diſtenſione veſicæ nimia (propter urinam cohibitam) dependet periculoſa ſatis exiſtit, teſtantibus *Aetio Tetrab. l. 11. c. 34. Panarolo pentec. 1. obſ. 27.* & *Hildano de Lithotom.* c. 3. it. quæ à ſcirrho ſimilive ex-

cre-

creſcentia ac tumore obſtruente & comprimente. Atque tales brevi morituros ſuperveniens teneſmus aliave convulſionum genera innuunt.

CAPUT THERAPEVTICUM.

§. 1.

Reſtat demum caput, à quo imprimis dicitur & cujus gratia ab ægro expetitur Medicus, ſeu Therapevticum. Innitur hoc duplici potiſſimum indicantium generi, à ſanguinis nimirum & organorum ſecernentium ac excernentium vitiis, depromendo.

§. 2. Sanguinis vitium ſeu ejus particularum arctior cohæſio innuit harum diſſolutionem, ita tamen, ut ſimul vitentur atque emendentur errores diætæ, ejusmodi connexionem arctiorem inducentes v.g. acidorum abuſus. Ante omnia E. ſi plethora ſubſit, animadvertente *Riverio cent. 1. obſ. 1. & 89. ac Tulpio lib. 2. obſ.* 43. Sanguinis Miſſio ſeu Venæ ſectio locum habet, monſtrante hanc natura in Juvene illo penes *Tulpium*, cui integros octodecim dies ſtagnaverat urina, ſpontanea nihilominus ſanguinis per nares excretione & macularum in corporis habitu eruptione, ſanitatem recuperante: imo, ſeri viſcidioris educendi & primarum viarum detergendarum gratia, hydragoga ac phlegmagoga propinentur, mitiora ſemper. Quibus præmiſſis exhibeantur, vinculum ſive connexionem illam intimiorem ſolventia, qualia, ſi viſciditas peccet, erunt reſolventia & attenuantia, modo de ſale volatili aromatico, modo urinoſo, modo magis compoſito, participantia; Sin acidum coagulans, abſorbentia nempe terrea, marina atque alcalica, cuncta ab effectu diuretica dicenda.

§. 3. Utriusque claſſis infinitæ obſervantur ſpecies ac infinitus numerus, ita ut eas recenſere mei haud videatur, commendare potius ea malo, quæ vel à Scriptoribus, vel Practicis majoris experientiæ, commendata novi. Sunt autem ex vege-

 tabilibus

tabilibus radix petroſel. apii, onon. chærefol. ſiler. montan. liquirit. ſaxifrag. urtic. & raphanor. cuncta genera, imprimis ruſticanus & ex hoc paratum vinum medicatum, aut ex eo & foliis ejus cum vino deſtillata aqua Herb. chærefol. petroſel. noſtrat. & Macedon. abrotan. perſicar. cujus ideo vim ſingularem exturbandi calculum *Boyle de utilit. philoſ. experim. Tom. 2. pag. 79.* ſingulari experimento confirmat, licet nec hanc, nec diureticam, attenderit *Paracelſus de Perſicaria* alias prolixè diſſerens. It. ſem. urticæ Dauci, quod cum cereviſia fermentatum contra calculum deprædicat *Bartholinus cent. 3. ep. 8. & Act. Hafn. volum. 1. c. 19.* Sileris montani, ſaxifragiæ, apii, bardanæ, leviſtici, fraxini ac hyperici, odoris terebinthinati, hinc à *Riverio* contra calculum propinati. Lignum & cortex fraxini & ex hujus arbore vulnerata ſtillans ſuccus, itidem contra calculum commendatus in *Philoſ. Transact. Angl.* num. 43. it. nephriticum, quod illius ſpeciem ait *Schrœderus* hujusque infuſum aut tinctura, baccæ juniperi ac hederæ, it. grana chermes ſeu tinctoria, ſvave, ſed potens maxime, diureticum, ſi non ratione ſubſtantiæ aromaticæ, certè vermiculi intus latentis, & cum aliis quibusdam inſectis forſan ejusdem virtutis. Ex reſinoſis ac bituminoſis efficaciſſima ſunt ſuccinum & terebinthina hujusque Spiritus & illius ſal volat: atq; tinctura, imprimis cum liquore alcaheſt Glauberi parata, aut Spir. tereb. cum tinctura ♀ mixtus, quo etiam ſpectant balſam. ♁ terebinthinat. Peruv. Porrò alcalia v. g. Sal ononid. ſtipit. fabar. geniſtæ, ciner. ſarmentorum vitis, clavell. ſtercoris columbini, ♀, & tinctura hujus, it. ⊖✳, aqua calc. viv. præprimis cum tinctura tartar. acuata. Inter animalia forſan primum locum ſibi vendicant millepedes ſeu aſelli, utpote quorum vis in calculo etiam veſicæ pellendo quanta ſit, præter *H. Augen. tom. 2. lib. 9. epiſt. 8. Wilhelm. Laurembeg.* per propriam experientiam, ac *Boyle l. c.* p. 81. & 154. teſtantur, & uſus quemvis ad ſtuporem docebit, unde, ut diureticum potentiſſimum, illi, vel ſub forma pulveris, vel eorum ſuccus cum liquore appropriato expreſſus

preſſus propinari poſſunt. Ejusdem generis erunt apes, lumbrici 🜃ſtr. ſcorpiones & ipſi canthariđes, fraxinum deperientes, atque harum ⊖ volatile, in exiliſſima nihilominus doſi exhibenda v. g. ipſarum cantharid. nō j. & ⊖ volat. gr. ij.l. iij. ad ſummum, hocq; cum multo vehiculo ob ſummam & adurentem fere acrimoniam, diluendum. Tandem hujus loci ſunt teſtæ ovor. lap. cancror lap. Judaic. *lyncis* nephrit. ſpongiæ, uſu quemadmodum notisſima, ſic etiam potentisſima. Accenſeo his abſorbentibus non tantùm, monente *Tachenio* fecem vitri, ſed vitrum etiam ipſum probe pulveriſatum ac in pollinem redactum, utpote cujus, ut ſingularis arcani, efficaciam in ejiciendo æq; calculo ac ⊡a ſummis laudibus extollit *N. Cheſneau obſ. med. lib. 3. obſ. 4. 5. 6.* Aſt omnibus forſan in hoc caſu anteferenda ⊖ volat. urinoſa, v. g. ⌒ ⊖✱, fulig. ⊡æ &c. utpote qvæ viſcidum ſolvendi maximam potentiam habent, qvo viſcido ſoluto ſecedunt poſtmodum à ſe invicem partes ſangvinis hactenus intimius conjunctæ & in renibus ſeparandæ.

§. 4. Renum habitudini morbificæ ut medeamur commodè, inchoandum ab illis pariter, qvæ primas vias laxant ac expurgant, tam ſub forma clyſterum injicienda, qvàm ore haurienda: hæc qvidem ubi ſpasmi dolorifici minus urgent, illa verò, ne ſpasmi exaſperentur, iis, præ reliqvis parietariam, qvam ſpecifica qvaſi virtute in affectibus his urinariis agere, *S. Pauli Q.B.* p. 109. ait, addendo. Et teſtatur experientia poſt laxantia moderatiora v. g. ♀· ⊕l. cum ſcammon. aut trochiſc. alhand. acuatum, pilul. de tereb. cum rhab. aut tereb. inſpiſſat. ac cum aliqvo indigitatorum ſtimulorum exaltatam, it: Sirup. diacnicum, diureſin promtè procedere.

§. 5. Hæc tamen vitia renum, qvia varii generis eſſe, ex ſuperioribus ſuppono, cuilibet horum peculiare erit indicans atq; indicatum. Et primo qvidem oppilantia v. g. grumus ſangvinis, calculus &c. ſui ſolutionem & remotionem poſtulant, ſangvis ſcil. congrumatus lapidem cancr. mumiam myrrham

 agrimon.

agrimon. artemiſ. chærefol. ſabinam, trochiſc. de carab, cum blandioribus diureticis miſcenda aut alteranda, unde v.g. fl. & ſem. hyoſcyami chærefol. lap. cancr. & ſangvis hirci, alias inter diuretica commendata, qvia grumum æq; diſſolvunt, ac educunt, reliqvis præferenda, it. coagulum leporis, hoedi & oxymel à *Foreſt. l. a. obſ. 20.* deprædicata, qvemadmodum pariter anſerina & piloſella à *Poterio* aliisq; illis, qvæ calculum pellunt, adſcripta. Eadem educunt pus canaliculos renum infarciens una cum balſamo Peruv. 🜍 & terebinthinatis cunctis, qvorum uſu etiam renum exulcerationi ſimul proſpicimus. Arenulas ac pituitam viſcidioerm removent diuretica ſæpius enarrata, imprimis 🜔 volatilia & de his multum participantia v.g. tereb. baccæ juniperi, abrotanum, capillus ♀ris ſtœch. arab. raphan. hincq; Syrup de raphano *Fernelii* ſuccus parietar. cum oxymelit. ad manuductionem *Helidæi Paduani*, aut juxta *Riverium*, idem ſuccus cum ſucco limon. & oleum amygdal. dulc: mixtus, it. terebinth. cum pulvere liqvirit. in pilulas redacta.

§. 6. Pariter comprimentium, qvæ mobilia, ſui remotionem indicant: inter qvæ inflammatio renum forſan non adeo infreqvens eſt, multifariam itidem cauſam agnoſcens, hinc diverſa remedia exigens v. g. averſionem, per ſangvinis miſſiones, diaphoreſin ac tandem diureſin; qvæ prolixius recenſere pagellarum anguſtia vetat. Qvemadmodum etiam, qvæ calculo removendo adæqvata, pariter aliunde potius hauriri debent, ſcil. emollientia ac lenientia, anodyna narcotica atq; diuretica. Neq; enim vereri debemus uſum Narcoticorum v.g. ſem. papav. hyoſcyami, opii, in ſuppresſione urinæ, à qvacuncunq; cauſa, ſi ſcilicet hæc valdè doloroſa fuerit; qvaſi hanc magis intendant & calculum ſimiliaq; impedimenta potius cohibeant ac foveant: eo ipſo enim dum hæc, dolores mitigando ac ſomnum inducendo, ſpiritibus novum robur addunt, excretionem urinæ, calculi, ſimiliumq, obſtaculorum egregie juvant, ut ex *Hoffmanni method.*

med.

med. lib. 2. c. 4. ac *Deckeri exercit. practic. c. 8. conſtat,* Ita etiam, Veteres in his exhibendis non adeo timidos fuiſſe legamus, v. g. dum *Montagnana conſil.* 176. & 178. theriacam commendat & *Peucery prax.* c. 18. potioni ſuæ lithontripticæ admiſcet, ut alios taceam, v. g. *Platerum,* qvi pulveri ſuo lithontriptico ſemen hyoſcyami addit. vid. *Höchſtett. decad. 6. c. 1.* Deniqve ſpasmis medentur laxantia ſive emollientia, alias paregorica dicta, & antiſpasmodica qvælibet, imprimis ſuccinum & liq. CC. ſuccin. it caſtor. cum opiatis aliqvando miſcenda, aut *Celeberrimo Mayerne* adeo decantatus Æthiops mineralis ex ☿ & 🜍, vel cum vel ſine △, paratus.

§. 7. Atq; medicamina hæc ſimiliaq; renum anguſtiis dicata, non tantum ore hauriuntur, ſed eorum potiſſima ſub forma enematum, fomentorum, inſeſſuum, linimentorum qvoq; admoventur, v. g. Decoctum chamom. noſtratis, parietariæ, aut, juxta *Craton,* veronicæ, it. lac ac ◫a ſola, ano injicienda, ſi emolliendi ac leniendi ſcopus: Sin autem à congrumeſcentia ſangvinis renum oppilatio fuerit, clyſter & inſeſſus, qvos *Timæus lib. 3. caſ. 41.* deſcribit, aut cataplasma ex ſtercore bovino, qvàm recentiſſimè excreto, vel exiccato & cum oleis appropriatis v. g. hyperici, arillor. cynosbat. ad ignem emollito; qvod ex *Aëtio Z. Luſit. Prax. adm. l. 2. obſ. 74.* in grumo veſicæ deprædicat. Linimenta ex ungvento dialth. oleum ſcorp. ſimpl. & compoſ. arill. cynosbat. ceræ, bacc. juniper. locum habent, ubi calculus ac pituita viſcida ſubeſt, it. Petroleum à *Panaroll. pentec. 2. obſ. 2.* magni æſtimatum.

§. 8. Qvod ſi autem à renum potius imbecillitate ſeu laxitate Iſchuria eveniat, horum firmationi ac robori reſtituendo incumbendum, & qvidē modo per adſtringentia Decoctum prunor. ſylveſtr. & corticis qverc. interior &c. modò ſimul, ſi à ſpirituum animalium influxu intercepto urinæ ſecretio turbetur, per nervina, itidem intrinſecus propinanda ac exterius applicanda v. g. fructus cynosbati & horum conſerv. utpote qvi præter diureticam, adſtringendi qvoqve ac

tonum

tonum renum reſtituendi vim habent vid. *Unzer. de Nephrit. l.1.c.26.* & *Borell.cent.3.obſ.22.* cinnam. Nux moſchata & confectiones aromaticæ diverſæ, decoctum calcis vivæ, in diabete, pro laxitate renum corrigenda, magnarum virium deprehenſum, aut vinum medicatum ex ſabina, bacc: juniper. raphan. ruſtic: & fraxini ligno item conſerva roſar. mala cydonia, qvibus tamen, qvia teſtante *Paſchalio meth. curand. c.5.* & *Bartholin.cent.5.hiſt.22.* ſimul vim diureticam, aliqvando ad Diabetem usq;, poſſident, cautè erit utendum. Exterius valent ungvent. roſat. comitiſſæ & qvod *Brendel. conſil. 83.* contra Diabeten producit.

§. 9. Eadem indicantia & remedia ſunt obſtructorum ac compreſſorum ureterum & meatus veſicæ urinarii, cum illis, qvæ de renum vitiis dicta: ſi modò qvoad topica qvædam obſervetur, ut hæc, ſi veſica laboret, pectini ac perinæo potius ad moveantur. In ſpecie vero ſi à torpore malum, ante omnia evacuetur veſica, blanda hypogaſtrii compreſſione, hinc applicentur nervina & affectibus Paralyticis alias dicata, qvalia præter univerſalia ſunt, intrinſecus aſſumenda, cerebrum picarum, caſtoreum, confectio anacard. & pulvis viſcerum erinacei exiccatorum ut ſpecificum à *Foreſto* laudatus: externa vero oleum lumbricor. 🜃ſtr. ſeminis ſinap. euphorbii, axungia caſtor. &c. Meatui urinario, monte *Rondeletio*, immittatur granum ⊖ vel ⏀, aut tantillum mixturæ ex melle roſac: & ſpeciebus hieræ ſimplicis, aut oleum ſcorpion. caſtorei; imò refert *Gradus*, ſe qvendam vidiſſe, qvi pediculum urethræ canali immiſerit & hujus irritatione urinam eduxerit, cui annotante *Foreſto obſ.18.* alii cimicem vel pulicem ſubſtituerunt. Qvibus ſi non procedat lotium, catheter adhibendus, nunqvam tamen propinentur Diuretica, ne ab urinæ multitudine veſica magis diſtendatur, & à potu, qvantum poſſibile, arceatur æger. Podici injiciantur pariter nervina ac ſtimulantia v.g. decoctum origani, thymi, Salviæ, Calaminthæ, roriſmarini ac centaurii minoris.

§. 10. Cathe-

§. 10. Catheteris efficacia eo conſiſtit, ut dilatet orificium veſicæ, per hujus fundi diſtenſionem nimiam arctius clauſum. Multas difficultates de hujus inſtrumenti uſu ſibi concepit *Helmont. de Lithiaſ. c. 7. 34.* ideoq; flexile exoptans & tale ex corio potius fingens, qvàm faciens; qvamvis Recentiores Chirurgi & Mechanici ex argento etiam, alii ex cera, tale fabrefaciant: qvibus nonnulli candelam ceream ſubſtituunt, qvæ tamen non adeò commodè ſemper agit, dum eqvidem orificium veſicæ aperit, ſimul tamen, qvamdiu intra hoc relinqvitur, urinam cohibet, ſin extrahatur, idem oſtium concidit, repetita autem ejus intruſio plus moleſtiæ ac doloris, qvàm vulgaris catheter, parit. Qvi qvemadmodum à perito Chirurgo facilè & ſine notabili dolore applicatur, ita ſub imperito operatio hæc non tantum difficilis, ſed nec ſine periculo, eſt: cum carunculæ, oſtiis vaſorum deferentium aut oſcillis canaliculorum proſtatarum præfixæ, facilè hinc lacerentur.

§. 11. Si à ſangvine congrumato oppilatio veſicæ, poſt medicamenta ſuperius, pro cruore in renibus diſſolvendo annotata, injectione in eam opus, paranda ex cherefol. ſymphyt. aut agrimon. & oxymel. ſimul propinando idem oxymel, & Decoctum artemiſiæ, Succinum, cineres cancrorum aliaq; ſuperius enarrata. Injectionibus etiam utimur ſi pituita aut pus viſcidius urinæ obicem ponant v. g. ex oxymelle cum oleo ſcorp. aut amygdal. amar. qvæ potentius agunt, ſi ſuccus parietar. cum oxymel. aut mixtura ex ſucc. parietar. fœniculo marino, ex *Riverii Praxi* ſuperius commendata. it. ejusdem *Riverii* mixtura, ex vino Canarienſ. ſucco limon. & Sp. terebinth. qvem *obſ. à Fomio communic. 42.* tradit, ſimul hauriatur, qvamvis in hac doſis ſpirit. tereb. juſto major videatur.

§. 12. Qvibus minus ſufficientibus Catheteriſmo itidem opus qvi in calculo etiam cervicem veſicæ occludente utramq; abſolvit paginam, modò hi c non adeo firmiter impa-

ctus ſit, ut commode retrudi valeat. Qvod ſi verò nec hæc operatio locum habeat v.g. in inflammatione veſicæ, nec levamen præſtet, ad Chirurgiam, qvam Puncturam Perinæi vocant, tranſeundum, de cujus inventione *Zecchius* gloriatur, cum nihilominus *Riolanus enchirid. anatom. patholog. l. 2. c 30.* jam à centum annis curatione hac palliativa uſos fuiſſe Chirurgos Pariſienſes, referat, ubi vel ratione ætatis, vel ob calculi nimiam molem, hujus ſectionem & extractionem moliri haud liceat. Meminit hujus Chirurgiæ *Bonettus Sepulchr. l. 3. ſ. 24. p. 123.* ex communicatione amici, nullibi tamen ejus ratio exponitur, niſi forſan penes qvosdam Gallos, v. g. *Thevenin des operations de Chirurgie cap. 121.* & *Toletum. c. 21.* qvæ in eo conſiſtit, ut perforetur Perinæum, ad latus alterutrum Suturæ, ac veſica foramine non adeo magno, cui immittitur cannula, aut per totam vitam, aut tamdiu, donec affectus primarius, Iſchuriam faciens, ſublatus fuerit, geſtanda. Qvem in finem *Toletus* peculiare etiam commendat inſtrumentum cannulatum ſimulq; perforans: imò in qvibusdam caſibus veſicam etiam ad modum lithotomiæ Franconicum in hypogaſtrio, ſine notabili periculo, aperiri ſeu perforari poſſe aſſerit. In qva tamen operatione illud præprimis attendendum, ne prima ac una vice ſtatim omnis per vulnus emittatur urina, ſi ſcil. ejus qvantitas nimia, cum etiam hic locum habeat, illud *Hippocrates ſ. 6. aph. 27.* qvod ſi ▽ acervata omnino ſeu confertim effluat periculoſum ſit.

§. 13. Si ab hæmorrhoidum intumeſcentia ſuppreſſio hæc eveniat, illarum imprimis ratio habenda, illæ aperiendæ vel ſcalpello, vel hirudinibus. Si à deſcenſu matricis aut inteſtinorum prolapſu, hæc reponantur, regio verò veſicæ fomentetur Decocto parietar. abrotan. ſabin. flor. chamom. ſambuc. ſimiliumq; anodynorum.

§. 14. Si ab inflammatione colli veſicæ evenerit urinæ defectus, res difficilis exiſtit, præter ſangvinis autem miſſionem, in brachio adornandam ac reiterandam, enemata hic

magni

magni uſus ſunt, immediatè magis partem affectam attingentia & ex Decocto hord. violar. malv. alth. plantag. fl. ſambuc. cum caſſia & oleo violac. roſac. hyperic. &c. paranda. Perinæum verò ſimul fomentetur paregoricis ſive lenientibus ac mitius reſolventibus, v. g. parietaria fl. chamom. ſem. papav. albi, aut inungatur cum oleo roſar. violar. & ſuccò limonum. Qvibus progreſſu temporis potentius reſolventia v. g. anethum, puleg. origanum, polium montanum, farina fabar. &c. ſuccedant. Internè verò in principio propinentur emulſ. ſem. qvatuor frigid. maj. & min. it. ſem. plantag. ac papav. poſtmodum & in augmento morbi decoctum pentaphyll. liqvirit. & capill. ♀is; nunqvam verò diuretica propriè ſic dicta, niſi ſub declinatione morbi. Neq; Catheteri locus eſt, niſi pariter in declinatione: hinc non ſatis congruum videtur illud qvorundam conſilium, de injiciendis liqvoribus medicamentoſis veſicæ inflammatæ; qvod ſi catherem applicare non liceat, nec liqvores immitti, nec injecti commodè rejici, valeant, vid. H. *Saxon. prælect. part. 2. p. 119.*

§. 19. In podicis Inflammatione eadem conveuiunt, potisſimum clyſteres ac fomenta: Sin verò à fecibus induratis comprimatur veſica, uno alterove clyſtere emolliente ac ſcybala educente mingendi potentia reſtituitur. Aſt in calculo veſicæ præter ſectionem & extractionem illius forſan parum reſtat remedii: qvam duplici ordinariè exercent methodo, minoris ſcil. & majoris apparatus, utramq; tamen in perinæo; cui addidit *Francus* tertium modum, qvem hodienum Franconium appellant, paucis uſitatum, niſi qvod Bonetum Chirurgum ac lithotomum Pariſienſem eum adminiſtraſſe *Tolet. l. a. c. 13.* perhibeat. Sine dubio qvod veſicæ fundi vulnera ac inciſiones minus conſolidabiles ac lethales crediderint hactenus, & ipſe Francus lithotomiam hanc non imitandam voluerit, ſed potius, ſtolidè ſe egiſſe, dum aliqvando illam exercuerit, expreſſe fateatur, ut reliqvas taceam difficultates & incommoda, qvæ *Hildanus de lithotom.* c. 17. recenſet:

 hinc

hinc tandem concludit, aut in infantibus tantùm, aut in adultioribus maribus, ubi calculus immenſæ magis molis, locum eam habere. Infantibus, qvod in his tantùm per digitorum in anum immisſionem, ille ad inguina elevari qveat, non verò in adultioribus & craſſioribus Subjectis, in qvibus propter tractus profunditatem, digitorum longitudo pro elevando calculo non ſufficiat; niſi in talibus, qvorum calculus ingentis ac tantæ magnitudinis, ut propter hanc commode ad ingven, pro ſectione ſuper eodem facienda, attolli poſſit, extra qvos caſus vix audiendus erit *Rouſſetus de part. cæſ. ſect. 3 c. 6. & 7* qvi calculum ſemper in hoc loco exſecandum eſſe putat; ob difficultates modo indigitatas.

§. 16. Paulo aliter in hac operatione qvendam lithotomum Belgam agere ex relatione *Celeberrimi D. D. Bohnii* recordor, qvi etiam in theatro Anatomico in cadavere, modum operandi, ante triennium nobis demonſtravit. Scil. ſi forſan in adultiore Subjecto calculus ad hypogaſtrium ſatis elevari neqveat, mediante cathetere & folle huic negotio adaptatis, in prono ad umbilicum usq; collocato ægro, veſica diſtenditur & calculus hac ratione ad hypogaſtrium deportatur, qvod cum veſica inciditur pro illo educendo: poſtmodum eidem ægro, in dorſum converſo, per catheterem flexilem & ita proſpiciendo, ne urina per vulnus, ſed per meatum urinarium & Catheterem effluat, illud verò per remedia congrua conſolidando. Minimè enim de coaleſcentia vulneris adeo metuendum, ut hactenus factum cum *Plater. obſ. p. 850. Würz. Chirurg. part. 2, c. 13. Simon Pauli Flor Danic. part. 2. p. 38. modò nominatus D. D. Bohn. circ. phyſiol. progym. 14.* ac *Solingen, van de manual operatien part. 3. c. 2.* eandem diverſis exemplis adſtruxerint, adſtruat etiam illam veſicæ tunica carnea & cum peritonæo ac muſculis abdominis connexio, homini præ brutis peculiaris.

§. 17. Pro anguſtiis ipſis urethræ in maribus à grumo ſangvinis ſolvendo, qvadrant præprimis inſeſſus, fomentatio-

nes emol-

nes emollientes ac reſolventes, ex Decocto Sabinæ, ar-
temiſiæ, cherefoli, organi, amaranthi, fl, chamom. bacc: juniper. &c. it: ex lixivio communi. Ore verò ſimul haurienda dentur vel eadem decocta & Eſſentiæ eorundem vegetabilium vel ſuperius, contra grumos renis, commendata medicamenta, cum oxymelle ſimpl. aut ſqvilli*t*ico interdum miſcenda. Sin obſtructio fuerit à pure aut pituita tenaciore, præter fomentationes ex decoct. abroton. puleg. origan. centaur. min. parietar. conveniunt olea reſolventia inſtillata ac inuncta v. g. rutac. amygd. dulc. ſcorp. fl. cheiri &c. Qualibus reſolventibus ſi mucus non cedat, ſpecillo vel communi, vel tali, qvod calculo minori ex urethra protrahendo adæquatum, erit utendum: quo nimirum divellatur materia hæc tenacius impacta: qualem operationem *Foreſtus l. a. obſ. 15.* à ſe feliciter peractam deſcribit. Neque forſan incongrua erit huic obturationi inflatio colis, ſive diſtenſio ejus à flatu, de qua mox dicetur.

§. 18. Nimirum ſi calculus in meatu urinario hæreat, cavendum, ne ad veſicam retrocedat, quod fieri poteſt, ſi radix urethræ digitis comprimatur, quippe qui ad latiorem hunc canalem delatus per collum veſicæ anguſtius retrudi haud debet: ſimulque adhibenda extrinſecus emollientia ac laxantia, cum *Hildanus de lithotom. c. 26.* & *Scultetus armament. chir. tab. 40. & obſ. 66.* teſtentur, ſe lapillos, urinario meatui impactos, ſolo ac reiterato balneorum uſu ejeciſſe; modo ſimul ore hauriantur Diuretica ſeu Lithontriptica. Quibus ad imitationem *Ægyptiorum*, quorum modum operandi *Proſper Alpinus de Medicin. Ægypt. l.* 14. deſcribit, alii addunt colis inflationem, compreſſa ejus parte poſtica, ne flatus ipſam veſicam urinariam irrumpat: qua ratione dilatato canali calculum digitis ſenſim ad glandem urgent usque dum per hujus oſtium prodeat.

§. 19. Cui ſimile eſt, quod *Mayerne annotationum Practicarum c. 19. de veſica calculo & ulcere* promit, experimen-

tum, his verbis: Quidam (nomine Dickinſon) laborans caruncula in urethra, iſchuria correptus partim à fungoſæ carnis inflatione, partim à grandiore arenæ grano, meatum jam jam occluſum penitus obſtruente, de vita deſperans & conſilii inops aſſumto ſiphone ſive ſyringa ſtannea (quod inſtrumentum ipſi tunc ad manus erat ad injectiones faciendas in urethram & veſicam) aerem ſaltem ex vacuo ſyringæ corpore in meatum impulit, cum aliqua violentia. Sic dilatato ductu ſucceſſivè multum aeris intravit veſicam, qui ne erumperet quoties ſiphonis apicem ſeu fiſtulam extrahebat ad novum aerem captandum, arcte digitis premebat urethram. Tandem ſatis oppleta veſica, laxato & remoto obice, flatus cum impetu erumpens arenam expulit & prorupit urina ſatis copioſa cum levamine. Deinceps quoties aliquam experitur difficultatem recurrit ad ſacram hanc anchoram, cujus nunquam fallacem experitur effectum. Ego vellem inſufflare ex folle parvulo duplici qualis eſt organorum, aerem in tubum argenteum ſatis brevem & majuſculum urethræ prius inditum, & circumligare virgam ſerico molli, ſine ullo dolore, atque ita & urethram dilatare & opplere flatu veſicam &c. vel uti veſicâ vento turgida eodem modo quo clyſteres injiciuntur.

§. 20. Qualem quidem methodum educendi potiorem judico, quàm qualem ſuctione nonnulli præſtare contendunt, v. g. *Tulp. lib. 3. cap. 8.* ad imitationem *Ægyptiorum*: quippè quod circa hanc monet *Hildanus loc. alleg.* non eſt de nihilo: ſcil. niſi in anteriore virgæ parte hæreat ille, hujus canalem à ſuctu non tàm dilatari, quàm conſtringi, hinc obicem potius illi egreſſuro poni.

§. 21. Irritis his *Paræus lib. 16. cap.* 39. & *Hildanus loc. all.* terebris lapidem impactum in fruſtula confringere attentant, ab aliis diverſa ſpecillorum ac tenaculorum genera hunc in finem producuntur, inter quæ forſan uſitatiſſimum ac commodiſſimum, quod, in extremitate inſtar cochlearis exilisſimi formatum, ab *Aquapendente* deſcribitum, meatui eousq; im-

mit-

mittendum, donec calculum ſuperet & cavo ſuo comprehendat, qui hac ratione cum ſpecillo extrahitur. Quod ſi tamen nec hæc inſtrumenta, ob calculi molem majorem aut figuram anguloſam, quadrent, præter urethræ inciſionem, in ejus parte carnea peragendam, nihil ſupereſt, de qua penes Chirurgos v. g. *Hildanum l. c.* & *Tulpium l. 4. c. 35.* videatur. Neque enim adeo meticuloſos in operatione hac adornanda nos eſſe ſinit *Bartholinus cent. 5. hiſt. 3.* ubi calculum ingentem per urethræ rupturam prorupuiſſe perhibet.

§. 22. Quod ſi à caruncula meatus urinarii Iſchuria fiat, illa remediis appropriatis extirpanda, in quorum tamen applicatione multa cautela opus eſt, haurienda ex *A. Luſitan. cent. 4. cur. 19. Foreſto obſ. 10.* & *River. cent. 2. obſ. 14.* ad quorum evolutionem brevitatis cauſa, nunc remitto. Hoc ſaltem addens, ut interim, dum hæc fiunt, pro urina educenda vel catheteriſmus, vel inflatio penis, vel perinæi perforatio, curam palliativam præſtet, donec remoto ejusmodi obturaculo urina liberius denuo per urethram promanet.

§. 23. Meatus urinarii extremitas ſi aut in glande per phimoſin occludatur, aut glans omnimodè non perforata fuerit, ſola Chirurgia aperitur, ex hujus Scriptoribus petenda. Saltem inpræſentiarum ratione poſterioris affectus ex *Wieri obſ. p 221.* annotare lubet, Adoleſcentem quendam, lotium redditurum acu longa atque craſſiuſcula meatum urinarium ſemper aperuiſſe, exonerata urina rurſus aliquantum recoaleſcentem. Neque tamen Chirurgia ſemper locum habet in glande non perforata, ſi ſcil. Formatrix errans aut nullum plane veſtigium meatus reliquerit; quamvis tale quid qui patiuntur, his plerumque apertura alia in vicinia, v. g. paulo infra glandem, aut ad radicem penis, contingat: aut ſi præputium ipſi glandis foramini impactum cum hoc coaluerit, quale exemplum *Platerus obſ. p. 602.* annotavit.

§. 24. Mu-

§. 24. Muſculorum tandem abdominis contractionem hincqve urinæ expresſionem, quæ morantur, ſicut modo vulnera, modo inflammatio, modo paralyſis ſunt, ſic ſingulis per appropriata mederi convenit. Quæ tamen cura quia pariter non adeò prompte ſuccedit, interim educenda erit urina, quæ ſtagnat: & quidem per abdominis compresſionem atque anhelitus ſuppresſionem: aut ſi hæc expectationi minus ſatisfaciant, juvari debent per Catheteris applicationem. Quibus nunc prolixiorem hanc materiam ad pagellas paucas redactam finio à Lectoris Favore aut cenſuram benevolam, aut emendationem amicabilem, ipſi expetens atque promittens.

FINIS.